



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 44. Simeon Græco Patriarchatu Constantinopolitano exutus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

beneficia ecclesiastica ad Reginae voluntatem sub utriusque nomine conferrentur, Sæcul. XV.
A.C. 1474.
populi ab ambobus, quando in eodem loco morantur, jus sibi dici peterent; si vero separati agunt, quo loco alteruter esset, suo quisque nomine justitiam administraret. Cunctis ita compositis Regni Proceres animum adjecerunt ad tollendos quosdam abusus, qui tam in justitiæ, quam ærarii regii administratione sub priori regimine irreperant. Præterea solemnem decernunt legationem ad Ludovicum XI. Galliarum Regem, ut avita amicitiae fœdera innovarentur, simulque Ruscinonensis Comitatus restitutio peteretur. Verum Rex, cum pro temporum ratione privatis semper commodis suis intentus esset, non solum Legatorum petito surdas præbebat aures, sed etiam adhuc alias urbes sibi subjicere animo agitabat, cum interea Ferdinandus & Isabella, ut solium suum firmarent, solliciti intestinis tumultibus agitantur.

§. XLIV.

Simeon Græco Patriarchatu Constantinopolitano exutus.

Ad finem hujus anni revocanda censetur expulsio Simeonis Græci Patriarchæ Constantinopolitani, qui cum Patriar-

Sæcul. XV. triarchalem Sedem vix triennium & paulo amplius tenuisset, iniquis artibus Raphaelis Serviciæ Monachi inde pulsus est; Hic enim pro solo ingressu quingentos aureos nonnullis Turcici Imperii Proceribus, ac quotannis pro tributo duo aureorum millia pollicitus erat. Hanc conditionem Mahometes lætanter acceptat, moxque Simeonem Sede dejici jubet, atque in ejus locum Raphaelem subrogat, quanquam hic rudis, & linguæ græcæ penitus ignarus, adeo ebrietati ac crapulæ deditus esset, ut nunquam sobrius, semper temulentus a vino conspiceretur. Unde cum omnium in se odium concitasset, paucissimi Episcopi inaugurationi ejus intererant, & Sacerdotes non nisi metu coacti in sacris obeundis ei communicare sustinuerunt. Transacto tandem uno Sedis anno, cum promissum tributum, unde solveret, non haberet, rejectus in carcerem est, ex quo prodeundi facultatem unice obtinebat, ut stipem pro tributi solutione ostiatim mendicare posset, catenna ferrea, & Turcarum satellitio cinctus. Brevi tamen indignus hic Patriarcha misere vitam exiit.

§. XLV.

Solemne Jubilæum Romæ celebratum.

In vigilia Dominicæ Nativitatis Romæ datum